AUTHOR:

DITKI, ANTON ALBERT

TITLE:

DE AMMIANO MARCELLINO

PLACE:

KONIGSBERG

DATE:

1841

Master Negative #
93-81528-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Ditki, Anton Albert,
De Ammiano Marcellino. [Königsberg, Dalkowski, 1841]
12 p. 29 cm.

On cover: Neunter jahresbericht über das Königl. Progymnasium zu Rössel, womit zur öffentlichen prüfung der schüler... ehrerbietigst einladet Dr. Anton Albert Ditki...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-4-93
INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Neunter Jahresbericht

über das

Königl. Progymnasium zu Rössel.

Womit zur

öffentlichen Prüfung der Schüler

am 4. August,

so wie zu

den Schlußfeierlichkeiten

am 5. August,

alle Gönner und Freunde des Schulwesens

im Namen des Lehrerkollegiums

ehrerbietigst einladet

Dr. Anton Albert Ditki,
Director.

Königsberg.
Gedruckt bei E. J. Dalkowski.
1841.

De Ammiano Marcellino.

Saepius mecum cogitavi, quid Ammiano Marcellino, qui Juliano regnante florebat, de doctrina christiana persuasum esset. Multi quidem viri docti scriptorem, omnium religionum expertem[1]), optime et sine ira studioque rerum gestarum historiam tractaturum esse confirmarunt, eaque de causa Ammianum nostrum in primis omnium temporum historicis constituendum esse duxerunt. Quid vero valeant verba illa, videant qui in lucem protulerint. Quodsi ea ad literam accipiant, quaero ubinam gentium scriptores isti, omnium religionum expertes, sint inveniendi. Neque in feris barbarisque nationibus invenies, qui Deum Deosve esse non agnoscant neque ullo modo colant[2]). Sin autem verbis illis intellectum velint, ne quis historicus ullius sit partis christianae, sed ut potius Graecis quibusdam philosophis, nunquam nulloque modo, quod verum sit, inventum iri, dicentibus assentiat, dummodo id unum credat, Deum esse, dominum omnium rerum ac modera-

---

1) Dr. *Trossius* in praef. Ammiani librorum versioni praemissa fasc. 1. p. 10. hoc annotat: „Dass er (Ammianus) Heide und nicht Christ war, wie man wohl früher gerne (?) glauben machen wollte, ist als erwiesen anzunehmen, eben so gewiss aber auch, dass er sich *von der Anhänglichkeit an seine Religion* zu keinem harten und unverdienten Urtheile über die Christen hinreissen liess und daher, wie *Wagner* richtig bemerkt, der Forderung an einen Geschichtschreiber, *keine Religion zu haben*, völlig entspricht.“ *Trossium* hic ipsum sibi repugnare, facile perspicietur.

2) „Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, quum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem sol sit an nullus sit dubitare possit.“ Cic. de nat. Deor. II., 2 — „Ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei; ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.“ id. de legg. I., 8.

torem eaque, quae gerantur, ejus geri judicio ac numine piorumque et impiorum habere rationem [3]) atque haec potissimum esse vera, quae de Deo ratione sola cognoscantur: profecto miramur, undenam fiat, ut non hodie ars historica omnium omnis memoriae artium ut lumen quoddam effulgeat. Magnus est enim numerus illorum doctorum virorum, qui, res divinas investigantes, nihil verum habeant, nisi ratione percipiant atque cognoscant; Platonis praecepta sententiasque non minoris momenti esse arbitrentur quam Christi; Graecorum et Romanorum figmenta majore libidine explicent iisque verum quoddam inesse, argumenta undique conferant, quam percepta illa, quibus omnem cultum debemus et humanitatem, qua nunc gaudemus. Nihilo tamen minus libros historicos, ab illis viris scriptos, revolvens, colore quodam teneri ab illisque scriptoribus laudibus efferri maximis, quod doctrinae ipsorum conveniat, vituperari vero, corrumpi et rejici, quaecunque repugnent, rerumque christianarum monumenta ad utilitates, quas sibi proposuerint, in omnes partes perverti, facile invenies. Itaque, id quod viri docti in iisque Wagnerus, vir doctissimus, qui rerum gestarum historiam scribant, omnis religionis expertes sint oportere, contenderunt, sive uno sive altero sensu accipies, neutiquam inter omnes constat; nullo quidem pacto perspicuum erit, istos maximeque in rebus christianis, quid verum sit, accuratius disquisituros, quam ipsos viros christianos, partium quodam studio jam imbutos. Cuique enim de Deo, mundi natura et animae nostrae immortalitate aliquid est persuasum; quod in scribendis rebus historicis, imprimis quae doctrinam christianam spectent, usque prae se feret. Quae cum ita sint, nihil interesse videtur, utrum illi an isti rerum, praesertim christianarum, historiam tradant; quid iis de rebus divinis sit exploratum, semper elucebit [4]). Et Ammianus Marcellinus noster ab illa scriptorum consuetudine non discessit, imo in

3) cff. Cic. de legg II., 7.; de natur. Deor. II., 22.

4) Wachsmuthius in libro suo, qui inscribitur: Geschichte Frankreichs im Revolutionszeitalter. Hamburg, 1840. p 96. recte affirmat: „Eine Geschichte der Revolution lässt sich nicht schreiben, ohne dass ein politisches Glaubensbekenntniss durchblickte.“ Quibus verbis vere possumus adjungere: Eben so wenig lässt sich Geschichte überhaupt, und die Geschichte der christlichen Staaten insbesondere, schreiben, ohne dass der religiöse, resp. der kirchliche Standpunkt des Verfassers durchschimmerte. Das wird selbst geschehn, wenn er auch nur im Vorübergehn einzelne Seiten der christlichen Kirche, ihres innern oder äussern Lebens berührt.

omni librorum suorum pagella prodidit, quid in rebus divinis verum, quid falsum haberet. Utrum vero doctrinae christianae accuratiorem habuerit cognitionem an eam primoribus, ut dicam, labris tantum gustaverit rebusque de christianis qui recte judicaret, idoneus fuerit, exponere conabimur.

Multi [5]) Ammianum professione virum Christianum fuisse confirmarunt. Cujus rei argumenta inesse dicuntur iis omnibus, quae de doctrina Christiana et ecclesiae christianae institutis disputat. Quo pertinere, ajunt, Saporis, Persarum regis laudem [6]), quod in castellis duobus a se captis *inventas virgines, christiano ritu cultui divino sacratas, custodiri intactas et religioni servire solito more, nullo vetante praeceperit* [7]). Et lib. XXI., 16. Constantium, dicit Ammianus, *christianam religionem absolutam et simplicem anili superstitione confudisse*, aperte haeresin Arianam rejiciens. Deinde allegatur lib. XXII., 11. quo de Georgii, Alexandrini antistitis (episcopi), nimio ulciscendi studio compluria locutus, tum: *Professionis suae*, inquit, *oblitus, quae nihil nisi justum suadet et lene, ad delatorum ausa feralia desciscebat.* Statimque post Ammianus subjungit: *Quo* (i. e. supplicio de Georgio aliisque sumto) *non contenta multitudo immanis, dilaniata cadavera peremptorum camelis imposita vexit ad litus, iisdemque subdito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne, collectis supremis, aedes illis exstruerentur, ut reliquis, qui deviare a religione compulsi, pertulere cruciabiles poenas, adusque gloriosam mortem intemerata fide progressi et nunc martyres appellantur.* Huc illud quoque attinet, Julianum vituperari, quod magistros rhetoricos et grammaticos prohibuerit, quominus eas literas docerent homines christianos. *Illud inclemens esse*, asseverat, *perenni silentio obruendum* [8]). Quibus argumentis hoc etiam adjicere possumus, Ammianum non ignorasse ecclesiae christianae instituta: haud incognitos ei fuisse episcopos, presbyteros,

5) v. g. auctor praef. in Amm. libr. ed. Bipont.

6) Amm. lib. XVIII., 10.

7) Auctor jam dictae praefationis hic annotat: „Vix est, ut credam, Christiani oris haec verba non esse.“

8) Amm. lib. XXII., 10. cf. lib. XXV., 4. ubi haec verba inveniuntur: „Inter quae erat illud inclemens, quod docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos christianos, ni transissent ad numinum cultum.“

diaconos, synodos et Christianorum conventicula[9]). Et de ipso principatu episcopi Romani rumores quidam ad ejus aures pervenisse videntur[10]). Maxime vero sententiae illorum favet locus, quem in capite primo lib. XXIII. legimus, quo Ammianus, postquam Julianus imperator templum Judaeorum reaedificari jusserat negotiumque Alypio cuidam maturandum dederat, res miras in ea occasione factas hisce verbis describit: *Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius juvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris resultibus erumpentes, fecere locum, exustis aliquoties operantibus, inaccessum: hocque modo elemento destinatius repellente, cessavit inceptum.* Neminem nisi Christianum, judicabunt illi, qui Ammianum Marcellinum Christianum esse velint, ita scribere potuisse. Julianum enim, etsi non amore Judaeorum ductum, iis non dicis causa templum Hierosolymitanum reaedificandum permisisse, sed ut Christi vaticinium, de templo illo editum, penitus everteret; nec non Judaeos omni cogitatione curaque in eam rem incubuisse, animo libenti quisque concedet. Quodsi jam incepto tamen desistebant, loci natura obstacula intercessisse necesse est, quorum causa inceptum ad effectum perduci non posset, sive terrae motus ortos, sive Vulcanum, ut ita dicam, fulmina hic adversus Judaeos fabricatum esse credamus. Mirum quid, quod eos operis perficiundi spem abjicere coëgerit, evenisse apparet. Locum vero allegatum a Christiano quodam viro, ut nonnulli affirmarunt, insertum esse, neque contextus neque, quantum scio, codices admittunt[11]).

Verum enimvero omnibus ex argumentis in medium collatis, quanticunque sunt momenti, nequaquam efficitur, Ammianum fuisse Christianum. Quod enim maxima cum laude Saporis tradit, eum virgines, Christiano ritu cultui divino sacratas, servasse; quod christianam doctrinam absolutam esse

9) cff. Amm. libb. XV., 7. XIV., 9. XV., 6.

10) „Id“ (arbitrium imperatoris) „enim ille“ (Constantius imperator) „Athanasio semper infestus, licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque, *qua potiores aeternae urbis episcopi*, firmari desiderio nitebatur ardenti: quo non impetrato, Liberius“ (episcopus Romanus) „aegre populi Romani metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit absportari.“ Amm. lib. XV., 7.

11) Quaecunque de illo Ammiani loco dici possunt, a Warburtonio, viro doctissimo, in libro, qui inscribitur Julianus, sunt collata. Cf. Fleury, allgem. Kirchengeschichte des neuen Testaments. Frankfurt und Leipzig. Tom. 3. p. 209.

et simplicem ait eamque a Constantio cum anili superstitione confusam; quod disciplinam christianam nihil nisi justum suadere et lene aliaque ejus generis affirmat; id non est necessario hominis christiani, sed viri potius cujusque liberalis humanique, qui, in exiguum gyrum, ut dicam, opinionum non compulsus, quidquid est honestum et humanum, ubicunque invenitur, agnoscat. Neque mirum videtur ab eo laudari, qui, quod doctrinam christianam veram esse iis persuasum fuit, cruciatum omnem et ipsam mortem obierint. Non enim minus philosophos antiquos laudibus forte ornasset, qui praeceptorum suorum tenaces interire non dubitassent. Scriptorem vero nostrum de episcopis, diaconis et synodis loqui aliaque ecclesiae christianae instituta non ignorare, id facile erit ad intelligendum, si animum inducamus, eum scripsisse seculo quarto p. Chr. n. quo tempore, per Constantinum Magnum ecclesia in libertatem jam vindicata, compluria in vulgus edita fuerant, de quibus ante celabatur[12]). Plurimum autem difficultatis habere videtur locus, quem supra laudavimus de capite primo lib. XXIII. Qui enim fieri potuit — ita fere multi disputarunt — ut quis non Christianus tali modo scriberet? Nonne a scriptoribus christianis[13]) proditum est, multorum Judaeorum et Graecorum, postquam viderant, quae in ipsorum vultu fiebant, animos ad verum Dei cultum conversos, multos Judaeos Graecosque sacris christianis initiatos fuisse? Nonne et Ammianum, si quidem Christianae doctrinae cognitione nondum imbutus, de illius facti, uti videtur, veritate non dubitaverit, eam ipsam doctrinam amplecti necesse fuit? Sed facile videmus, eam disputandi ac philosophandi rationem esse viri Christiani, qui vera, ut dicam, miracula Deo uni et vero attribuat. Non ita vero gentes antiquae, quae plures deos colebant. Terrae regnaque singulos, qui praeerant, deos habebant, qui interdum irati populis nationibusque servitutem, perniciem interitumque parabant. Ammianum Marcellinum quoque ea ipsa opinione ductum credidisse, Judaeorum deum Judaeis iratum imperium templumque destruxisse destructumque voluisse eaque de causa terrae motu ignique aliisque rebus

12) Illo quoque tempore multa ecclesiae dogmata v. g. trinitatis et eucharistiae, disciplinae, quae dicebatur, arcani, fuisse, in dubitationem vocare nolumus. Sozomenus, scriptor ecclesiasticus, qui seculo quinto post Chr. n. florebat, Symbolum Nicenum a christiano cultu alienis tradere dubitat. Cf. Sozom. hist. eccl. I., 19.

13) cff. Ambros. epist. 40. Ruffin. hist. eccl. I., 38. Socrat. hist. eccl. III., 20. Sozom. hist. eccl. V. cap. ult. Theodoret. hist. eccl. III. 20.

toti incepto impedimenta intulisse, non quidem suscipimus probare, tamen est verisimile, si nobiscum reputemus, eum aequalium suorum, id quod postea explanabimus, multos et alios errores communicasse. Quae cum ita sint, quid est quod ponere cogat, scriptorem nostrum Christianum aut miraculo illo ductum Christi doctrinam secutum fuisse.

Omnia igitur argumenta eorum, qui Ammianum Christianum esse velint, sine ulla opera refelli possunt. Huc vero accedunt multa, quae rem nostram magis illustrent et excitent. Qui affirmare potuit Ammianus, si Christi Christianaeque doctrinae cultor fuisset, Athanasium, episcopum Alexandrinum, *ultra professionem altius se extulisse?* [14]) Quid verba ista sibi volunt? an Athanasius aliud quid docuit nisi christianam de trinitate doctrinam, concilio Niceno expositam et declaratam? Quid ea quae statim addit: *Dicebatur* (Athanasius) *enim fatidicarum sortium fidem, quaeve augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties praedixisse futura. Super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia, cui praesidebat.* Tali ratione Ammianus Christianus, etiamsi Arianorum haeresi favisset — id quod uno loco non potest effici — nullatenus scripsisset aut paucis quidem verbis refellere conatus esset. Praeterea quocunque loco de *Deo*, omnium rerum moderatore, disserit, Cicerone aliisque philosophis antiquis rarius utitur eo verbo [15]) atque uti metuere videtur, ac si foret, ut usu istius vocis in christianae professionis suspicionem vocaretur [16]). Neque minus tamen cavet, ne de diis [17]) loquatur, sed modo de numine [18]); modo de fato, fortuna

---

14) Amm. lib. XV., 7.

15) Julianum, quum Caesar esset creatus, loquentem facit: „Pace Dei sit dictum.“ Statimque milites consentientes dicuntur *coelitis Dei favore freti.* Amm. lib. XVI., 12. id. lib. XIII., 6. prosperante Deo. lib. XXI., 4. Dei coelestis; Deo vobisque fautoribus.

16) Postea alteram quoque videbimus causam, qua ductus vocabulum illud rarius adhibet.

17) Amm. lib. XIX., 10. Tertullum, Romae praefectum, ita loquentem inducit: „Procul omen dii coelestes avertant.“

18) Amm. XIV., 10. Secunda *numinis* voluntate delata. ib. 11. *numine* laevo ductante. ib. Sed vigilavit utrobique superni *numinis* aequitas. XV., 2. quo Julianus ei *superni numinis aspiratione* servatus esse videtur. ib. 8. Julianum Caesarem esse creatum narrat et postquam Constantius in concione orationem habuit, hoc Ammianus adjicit: „Dicere super his plura conantem interpellans concio lenius prohibebat, arbitrium *summi numinis* id esse,

casibusque [19]) dicit. Ammianum oraculis antiquis fidem habuisse [20]), praetermittimus, sed commemoratione imprimis digna videntur, quae de ominibus, prodigiis aliisque ejus generis rebus passim disputat. Lib. XVIII., 3. prodigio quodam exposito, ita pergit: *Superque hoc ei prodigiorum gnaros sollicite consulenti discrimen magnum portendi responsum est.* Et ad capitis partem extremam ipse explicare studet, quomodo quis futura sentire ac providere possit. *Ne sit hoc mirum*, inquit, *homines profutura discernere nonnunquam et nocentia, quorum mentes cognatas coelestibus arbitramur, animalia ratione carentia salutem suam interdum alto tueri silentio solent.* Lib. XIX., 12. monstrosum partum — infantem ore gemino cum dentibus binis et barba quatuorque oculis et brevissimis duabus auriculis — describit statimque annotat: *Qui partus ita distortus praemonebat, rempublicam in statum verti deformem. Nascuntur hujuscemodi saepe portenta, indicantia rerum variarum eventus: quae quoniam non expiantur, ut apud veteres, publice, inaudita praetereunt et incognita* [21]). Quibus verbis dolorem prae se ferre videtur, quod non jam

---

non mentis humanae, velut praescia venturi praedicans.“ — Paulo post Constantius de Juliano haec verba facit: „Ergo eum nutu Dei coelestis amictu principali velabo.“ XVI, 10. „Verum cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni coelo structuram, ut opinamur, etiam *numinum* assensione mirabilem, haerebat attonitus,“ ib. 12. propitiatum *numen*, supernum *numen.* XVII, 7. summum *numen.* XIX, 1. coeleste *numen.* ib. 10. divini arbitrio *numinis.* XXI, 13. favore summi *numinis* praesente.

19) Amm. lib. XIV, 11. „Utque solent manum injectantibus *fatis* hebetari sensus hominum et obtundi.“ XV, 3. „Vehementius hinc et deinde Constantius, quasi praescriptum *fatorum* ordinem convulsurus, recluso pectore patebat, insidiantibus multis.“ XV, 6. De Constantii superbia locutus, subjungit: „Ut jam coelo contiguus *casibus*que imperaturus humanis.“ XVI, 1. Haec per orbem Romanum *fatorum* ordine contexto versante. XVII, 12. ductu laetioris *fortunae.* ib. opinantur quidam, *fatum* vinci principis potestate vel fieri. XVIII, 6. *fortuna* sequior si ingruisset. XX, 11. *fatalis constellatio.* XXI, 15. finem parantibus *fatis.* Neque ullo modo cum Graecorum et Romanorum opinione doctrinaque pugnat, quum dicat lib. XIV, 11.: (Gallus) „tantum a temperatis moribus Juliani differens fratris, quantum inter Vespasiani filios fuit Domitianum et Titum. Assumptus autem in amplissimum fortunae fastigium, *versabiles ejus motus expertus est, qui ludunt mortalitatem, nunc evehentes quosdam ad sidera, nunc in Cocyti profunda mergentes.*“

20) Amm. lib. XXII, 11. quo de crebris Alexandriae seditionibus: „Quae“ (civitas) „suopte motu“, ait. „et ubi causae non suppetunt, seditionibus crebris agitatur et turbulentis, ut oraculorum quoque loquitur fides.“

21) Huc quoque pertinent verba Ammian. lib. XXXI, 1. „Interea et Fortunae volucris rota, adversa prosperis semper alternans, Bellonam furiis in societatem ascitis armabat,

portenta et prodigia publice expientur, diis coelestibus publica sacrificia non jam offerantur. Lib. XXI, 1. Julianum Constantii mortem providisse narrat his verbis: *Conjiciens* (Julianus) *eum per vaticinandi praesagia multa (quae callebat) et somnia, e vita protinus excessurum.* Tum fusius explicare conatur, unde *sapienti viro hoc quoque accidere possit doctrinae genus haud leve*, et ad *elementorum omnium spiritus et substantiales potestates* (vix credo, Ammianum ipsum intellexisse quid verbis istis dictum velit) et ad *solis ignem* refugit, qui *mentes nostras ex sese velut scintillas diffunditans cum eas incenderit vehementius, futuri conscias reddat; tandemque ad Ciceronem his verbis provocat: Praeclare hoc quoque, ut alia, Tullius, signa ostenduntur, ait, a Diis rerum futurarum. In his si quis erraverit, non Deorum natura, sed hominum conjectura peccavit.* Neque minus auguria et auspicia probat. *Auguria et auspicia*, inquit, *non volucrum arbitrio futura nescientium colliguntur (nec enim hoc vel insipiens quisquam dicet), sed volatus avium dirigit Deus, ut rostrum sonans aut praetervolans pinna turbido meatu vel leni futura praemonstret. Amat enim benignitas numinis seu quod merentur homines seu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quae impendent etc.* cf. lib. XXI, 2. Non invito animo theologis (veterum) adscribit, quae ipse vera esse arbitratur; ita sese habet doctrina de geniis, lib. XXI, 14. exposita, quam et oracula, inquit, et auctores docuere praeclari; tum his Menandri comici senariis utrisque laudatis:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου,

ad ipsum Homerum transit in eoque illam doctrinam esse vult. Non deos coelestes, opinatur, cum viris fortibus collocutos neque affuisse pugnantibus, sed familiares genios.

Quibus rebus omnibus facile potest intelligi, quomodo Juliano imperatori Ammianus familiarissimus fieri eumque maximis laudibus efferre topuerit [22]).

---

moestosque transtulit ad Orientem eventus, quos adventare praesagiorum fides clara monebat et portentorum. Post multa enim, quae vates auguresque praedixere veridice, resultabant canes ululantibus lupis et querulum quiddam nocturnae volucres tinniebant et flebile, et squalidi solis exortus hebetabant matutinos diei candores."

22) Amm. lib. XVI, 1. „Videtur enim lex quaedam vitae melioris hunc juvenem" (Julianum) „a nobilibus cunis adusque spiritum comitata supremum. Nam incrementis velocibus ita domi forisque colluxit, ut prudentia Vespasiani filius Titus alter aestimaretur, bellorum gloriosis cursibus Trajani simillimus, clemens ut Antoninus, rectae perfectaeque rationis indagine congruens Marco, ad cujus aemulationem actus suos effingebat et mores." Lib. XXII, 2. „Adventu Juliani apud Constantinopolim comperto, effundebatur, inquit, aetas omnis et sexus, tanquam demissum aliquem visura de coelo." — Neque ita multo post: „Principatum denique deferente nutu coelesti." lib. XXII, 10. „Haec eum" (Julianum) „curantem et talia, commendabat externis nationibus fama, ut fortitudine, sobrietate, militaris rei scientia, virtutumque omnium incrementis excelsum: paulatimque progrediens ambitum oppleverat mundi." lib. XXII, 10. „Et quanquam in disceptando aliquoties erat intempestivus, quid quisque jurgantium coleret, tempore alieno interrogans: tamen *nulla ejus definitio litis a vero dissonans reperitur, nec argui unquam potuit ob religionem vel quodcunque aliud ab aequitatis recto tramite deviasse.*" lib. XV, 2. Julianum dicit principem esse „postea memorabilem." — Quam vero spem illorum dierum homines in Juliano collocaverint, ex eo patet, quod anus quaedam oculis orbata, quum eum Viennam esse ingressum comperisset, exclamavit: *hunc deorum templa reparaturum.* cf. lib. XV, 8. — Quomodo vero Julianus eam spem expleverit, non hic est disquirendum, quippe quum Ammianus ipse in libris suis passim explicet. cf. lib. XXV, 4.

Sive ei quaedam vituperationi [23]) vertit sive verum est — id quod nonnulli interpretes affirmarunt — Julianum nusquam laudari ab eo propterea quod Christianos persecutus sit; id tamen neque uno tantum loco apparet, cum maximo amore Juliani studioque libros suos historicos scripsisse. Quamvis igitur nonnullarum Christianae disciplinae doctrinarum, earum quidem quae pertinebant ad mores atque honestatem, non ignarus, tamen christianis sacris eum imbutum fuisse non potest demonstrari atque adeo omnibus, quae in contextu breviter perstrinximus, in annotationibus vero nostris copiosius scripsisse videmur, sine ullo dubio redarguitur. Non tamen sequitur, ut deorum cultor fuerit sensu, quo plerumque vocabulum istud accipi solet. Philosophorum veterum doctrinas, cognitiones rerumque contemplationes, imprimis vero christianam disciplinam maxima vi fuisse in Ammiano Marcellino, quis ignorat? Unde fit ut saepissime ad philosophos veteres ac poëtas recurrat ab iisque confirmatum velit quod statuat neque minus ut a christiana disciplina non sit alienus. Unde et de diis deabusque loqui non amat [24]), sed numini seu Deo uni attribuere videtur, quod deorum complurium esse veteres putabant; deos deasque diversas immutat in ea, quae uni Deo

---

23) cf. Amm. lib. XXV, 4. med.

24) In periculo quodammodo ancipiti versatur: una ex parte de Deo uno loqui metuit, ut supra jam diximus, ne in suspicionem Christiani vocetur; altera ex parte veterum superstitioni favere dubitat.

sint attribuenda. Oracula vero, omina, haruspicia aliaque ejus generis ita interpretari omni opera studet, ut quisque, Ammiani permagni interfuisse antiquum deorum cultum reformatum constituere[25]) eique denuo auctoritatem comparare[26]), facile possit perspicere. Non ergo fuit Ammianus vir Christianus neque deorum cultor sensu vulgari; attamen ei numen esse summum quod mundum regat resque humanas fuit persuasum, ita ut illud in eo non valeat, quod scriptores quidam nostrae aetatis affirmarunt, ipsum omnis religionis expertem fuisse. Quum vero in rebus christianis judicet, magis veritate ductus quam odio aut amore, hac re mihi quidem contineri videtur, quod, quamquam inscius, ad doctrinam christianam propius accesserit, quam ipse putaverit. —

25) Deos deasque veterum hic illic rejicere videtur, nihil aliud fuisse statuens nisi proprium quoddam numinis summi seu fati. Ita fere lib. XIV, 11. Nemesin *jus quoddam sublime* dicit fuisse *numinis efficacis vel substantialem tutelam generali potentia partilibus praesidentem fatis.*

26) Rationalistarum qui dicuntur more totum deorum cultum tractat. Alia enim quae vera credere ipsi insipiens videtur, respuit atque improbat, alia vero ita interpretari connititur, ut rationi magis accommodata appareant; sed frustra. Maximis viribus laboribusque propugnatorum, tamen ille deorum cultus imperium obtinere non potuit, quod veritatis christianae splendorem perferre et obscurare non valebat. Ut vero christiana doctrina omnibus de erroribus victoriam adhuc reportavit per XVIII secula, ita et in posterum omnes sibi adversarios sine ullo dubio vincet. Christus enim dixit apostolis suis: „*Ἐγὼ μεϑ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος.*“ Matth. XXVIII. 20.

Notizen
über
das ehemalige Augustinerkloster in Rössel.

(Ein Beitrag zur Geschichte des Königl. Progymnasiums daselbst.)

Vorwort.

Wenngleich in unserm Programm von 1833 und in dem zweiten Bande des statistischen Handbuchs der deutschen Gymnasien, herausgegeben von Theobald, einige Nachrichten über das hiesige Progymnasium mitgetheilt sind, so dürfte es dennoch, namentlich für Diejenigen, welche an demselben den ersten Grund zu ihrer Bildung gelegt haben, nicht ohne Interesse sein, etwas Ausführlicheres darüber zu lesen, was diese Anstalt ursprünglich gewesen, und wie sie im Laufe der Zeiten sich umgestaltet habe. Ich beginne nicht gleich mit dem Eintritt der Jesuiten in Rössel, sondern mit der Gründung des Augustinerklosters; warum, wird sich später von selbst ergeben. Die Quellen, welche mir zu Gebote standen, sind theils Originalurkunden, theils beglaubigte Abschriften davon, oder auch die Akten unsers Archivs. Anderweitig mich umzusehn, dazu gebrach's mir an Zeit wie an Gelegenheit. Vielleicht lassen sich auch späterhin Nachträge und Ergänzungen liefern, denn auf Vollständigkeit wollen diese Notizen — wie dies auch schon der Name sagt — keinen Anspruch machen.

Die von dem Ermländischen Bischofe Hermann von Böhmen [1]), mit Genehmigung des Papstes Clemens VI., aus Baiern berufenen Augustiner-Eremiten trafen im Jahre 1347 in Rössel ein und nahmen den ihnen zur Erbauung eines Klosters und einer Kirche angewiesenen Platz sofort in Besitz [2]). Durch mannigfache

1) Hermannus de Praga nach Hartknoch in seiner Kirchenhistorie von Preußen.

2) Die Urkunde, welche hierüber spricht, ist aus dem Jahre 1380 und bei Gelegenheit einer Visitationsreise von dem für die Mark und Preußen bestimmten Ordensvikar Merkelin abgefaßt. Peracto, heißt es im Eingange, visitationis officio juxta Ordinis nostri instituta, quia moram aliqualem ibidem (nämlich in Rössel) ex causa legitima me contrahere oportebat, decrevi literas

Schenkungen erweiterten sich allmählig ihre Besitzungen. Im folgenden Jahre bereits erhielten sie von dem Rathe und den Bürgern der Stadt einen Gemüsegarten [3]), über dessen Lage jedoch sich gegenwärtig nichts mit Sicherheit ausmachen läßt. Daß es nicht der sogenannte Mühlengrund gewesen sein könne, folgt schon aus dessen natürlicher Beschaffenheit; auch wurde dieser erst im Jahre 1353, auf Veranlassung des Bischofs Johann's von Meissen, von der Stadt den Augustinern abgetreten. Dieser Mühlengrund, in dessen Besitz noch jetzt das Progymnasium sich befindet, war zu der Zeit wild bewachsen; allein die Mönche hatten ihn schon im Jahre 1380 in einen herrlichen Obstgarten umgeschaffen [4]). Der Bau des Klosters und der Kirche scheint etwas langsam [5]) vor sich gegangen zu sein; es mochte dazu theils an Mitteln, theils an einer kräftigen Leitung fehlen. Es mußte nothwendig von den Brüdern des Konvents, unter denen wohl auch manche Sachsen gewesen sein mögen [6]), das Bedürfniß gefühlt werden, sich von dem fernen Baiern loszuwinden und unter Aufsicht des

---

et privilegia conventus perlegere, ex quibus infra scriptos articulos annotavi et in scripto compendiose redegi propter sequentes et futuros, ut in notitiam privilegiorum valeant sine taedio et prolixitate verborum breviter devenire. De quibus etiam articulis Religiosi viri, Fratres *Nicolaus*, Prior, *Joannes Seberg*, Supprior, *Joannes Paskow*, *Joannes de Aquis*, tunc seniores conventus memorati, et de aliis infra consignandis me vivo vocis oraculo veridice instruxerunt. Diese Urkunde, die wir der Kürze wegen durch M bezeichnen wollen, ist außer einer andern, abschriftlich vorhandenen und vom Bischofe Heinrich im Jahre 1379, unter dem 18. Dezember ausgestellten, für die Geschichte des in Rede stehenden Augustinerklosters bis zum Jahre 1380 die Hauptquelle, so daß wir noch mehrmals darauf verweisen müssen. Der Name unseres Städtchens heißt hier Risel; in andern Urkunden findet sich auch Reseln, was dem jetzigen Namen schon näher kommt. Nach Preuß's Preußischer Landes- und Volkskunde. Königsberg, 1835. S. 509 soll auch der Name Rissel im Gebrauch gewesen sein.

3) Cives in Risel et Consules hortum *ex opposito conventus* pro oleribus ac aliis usibus pie contulerunt. M. art. 2.

4) Joannes de Missena, Varmiensis ecclesiae episcopus, et cives oppidi Risel locum ex opposito Conventus *immediate* pro pomerio faciendo donarunt; quem locum Fratres elaboraverunt magnis laboribus, arbores infructuosas et silvestres eradicantes, fructuosas ibidem plantantes; sicque in fine pomerium pulchrum, ut experientia docet, construxerunt. M. art. 3. —

5) Locus toto illo tempore in aedificio minime perficere videbatur. Die Namen der Prioren bis zum Jahre 1359 sind: Nicolaus Cäsar, Nicolaus Molberch, Petrus Mihilstorp, Tydericus Luchmischel, Joannes Salomonis, Petrus Tubichneden. M. art. 1.

6) z. B. Johann von Erfurt.

Sächsischen General-Priorats stellen zu lassen, was auch in dem Jahre 1359 in dem General-Kapitel zu Padua vermittelt wurde [7]). Seit der Zeit scheint der Orden sich mehr gehoben zu haben, so daß selbst der deutsche Hochmeister in Preußen, Winrich von Kniprode, auf ihn aufmerksam wurde. Er belagerte nämlich im Jahre 1362 mit 200000 (?) Mann das litthauische Schloß Caven (Kauen) [8]), konnte es aber ungeachtet aller Anstrengungen nicht erobern. Er machte daher das Gelübde, zu Ehren der heiligen Jungfrau Maria im Lande Preußen ein Kloster zu bauen, wenn ihm die Eroberung der Feste gelingen würde. Gerade am Ostersonnabende erstürmte er das Schloß und ließ es von Grund aus zerstören. Zur Erfüllung des gethanen Gelübdes nahm er mit dem Prior in Rössel, Namens Nicolaus Rüze, wegen eines in Heiligenbeil anzulegenden Augustinerklosters Rücksprache. Das geschah im Jahre 1372, in welchem auch, nicht ohne bedeutende Kosten, der Bau begonnen wurde [9]). Im Jahre darauf wurde das Kloster in Rössel und alle dazu gehörigen Gebäude, mit Ausnahme eines Thurmes [10]), der, wie es die noch

---

7) Quod anno Domini MCCCLIX in festo B. Augustini, Patris Nostri die XXVIII mensis Augusti in Nostro Generali Capitulo Paduae solemniter celebrato, ubi Reverendus in Christo Pater, Frater Matthaeus de Esculo, sacrae Theologiae Doctor electus fuit in Priorem, Conventus de Risel fuit Provinciae Saxoniae ad regendum deputatus, mediante labore et solicitudine Fratrum *Wilhelmi*, *Nicolai Morgenberg*, *Joannis Paskonis*, *Joannis Brunsberch*, *Christiani de Jungenborch*, *Joannis de Erfordia*, *Nicolai Blac*, *Nicolai Brunlant*; qui pluries Patrem nostrum Generalem, Gregorium de Aryno, Doctorem ac Sacrae Theologiae Professorem, pro mutatione loci et translatione ad Provinciam Nostram Saxoniae visitarunt. Tandem in Capitulo ante dicto intentionis suae effectum habuerunt. M. art. 4. Im Artik. 11. derselben Urkunde werden die Prioren aufgeführt von 1359—1380, nämlich: Joannes Salomonis, Henricus Weslow, Christian von Jungenborch, Nicolaus Rüze und Nicolaus Rüwenmarket.

8) Eine am Zusammenfluß der Vilia und Memel gelegene Feste. Vergl. Voigt, Geschichte Preußens. Bd. 5. S. 150.

9) So wenigstens berichtet es unsere, schon öfter angeführte Urkunde Artik. 6. Nach Voigt a. W. Bd. 5. S. 220. war der über die Feinde bei Rudau errungene Sieg die Veranlassung zum Klosterbau.

10) Anno Domini MCCCLXX die XVII mensis Januarii ipso die S. Antonii Reverendus in Christo Pater et Dominus, Dominus Joannes Striproc (Streifrock), Varmiensis ecclesiae episcopus, ad petitionem Fratris Nicolai Rüze, Prioris et Fratrum, aedificandi turrim pro cloaca et pro aliis necessitatibus Conventus, gratiose concessit plenam ac liberam facultatem; cujus fundamentum Fratres eodem anno posuerunt die XXVI mensis Junii ipso die SS. nostrorum Joannis et Pauli; et anno sequenti die XXI mensis Augusti compleverunt. M. art. 5. —

vorhandenen Fundamente beweisen, auf der Ostseite des gegenwärtigen Progymnasialgebäudes stand, in Asche gelegt [11]). Mit welchen Mitteln aber bereits das Kloster ausgerüstet gewesen sein muß, erhellt daraus, daß man sofort zum Neubau schreiten konnte. Auch scheint es, als wenn die neuen Gebäude die früheren an Festigkeit und Stattlichkeit weit übertroffen haben [12]). In sechs Jahren muß der Bau vollendet gewesen sein. Denn in der schon oben berührten, vom Bischof Heinrich im Jahre 1379 ausgestellten Urkunde wird zwar des ehemaligen Brandes kurz gedacht [13]), aber mit keiner Sylbe des etwa noch fortzusetzenden Baues Erwähnung gethan. Die Veranlassung zu dieser Urkunde aber war, daß man sich wegen der durch den Brand verloren gegangenen Dokumente über die dem Konvent bisher gewährten Privilegien an den Landesherrn gewandt hatte, damit er sie von neuem bestätigte [14]). Dazu war Heinrich nicht allein bereit, sondern er bewilligte ihnen noch manche andere Vortheile, um die man ihn angegangen hatte. Dazu gehörte die Vergünstigung, aus der Wasserleitung der Stadt das Wasser nach dem Kloster leiten zu dürfen [15]). Von

---

11) Anno Domini MCCCLXXIII die XXX mensis Maji, ipso die Felicis, Papae et Martyris, in qua occurrebat Dominica infra Octavam Corporis Christi, Conventus de Risel per incendium totaliter est destructus et in cineres redactus, solo muro turris remanente. M. art. 7.

12) Anno Domini MCCCLXXIII octavo die mensis Maji ipso die Apparitionis S. Michaelis, officium Prioratus tunc tenente Fratre Nicolao Rüze, Fratres fundamentum dormitorii ponere inceperunt et isto anno murum ad altitudinem XXXIII pedum cum fundamento erexerunt. M. art. 8.

